

DE CONSERVANDA

Humidus est sanguis, calet, est uis aëris illi,
Alget phlegma, humetq; illi sic copia aquosa est.
Sicca calet cholera, & sic igni fit simulata.
Frigens, sicca, melancholia est, terræ adsimilata.

Sanguis. Auic. 1.1. Doctr. 4. capit. 1. attestante, sanguis inter humores præstantissimus est, uel quia est materia spirituum, in quibus consistit uita, & omnis operatio uegetatiua, uitalis, & animalis. Vel quia conformis est principijs uitæ. Est enim calidus & humidus temperatè, uel quia plus nutrit & instaurat deperditum quàm cæteri humores. Et ut uno uerbo dicam, thesaurus est naturæ, ut quo amisso statim mors consequatur.

Phlegma. Secundum probitatis locum sibi phlegma uendicat, uel quia tēpore necessitatis concoctione in sanguinem mutatur: atq; hac ratione nullum proprium habet receptaculum, sed cum sanguine commixtus incedit, Vel quia uicinus est radicali humido, quod est quasi basis uitæ.

Cholera. Deinde sequitur cholera, quæ participat naturalē calori, quàm diu mensuram seruat.

Melancholia. Hinc melancholia sequitur, uelut fex ac sedimens tum sanguinis, elongata à principijs uitæ, inimica lætitiæ & liberalitati, & cognata senio ac morti. Sanguinis autem duæ sunt species, naturalis scilicet & innaturalis. Naturalis quidem, cuius color ruber est, uenalis scilicet ruber obscurus, & arterialis ruber clarus, expers mali odoris, & admodum dulcis, & hoc